

QUAESTIONES THUCYDIDEAE.

SCRIPSIT

F. H. KAEMPF,
PHIL. DR.

Inter Graecarum Romanarumve rerum scriptores, quotquot superstites sunt, nullum fere invenias, cui vel interpretando, vel in pristinam integritatem restituendo tantam nostra memoria docti homines navarint operam, quantam Thucydidi. Qui post renatas litteras quum ita eorum, qui Graecae antiquitatis periti essent, allexisset studia, ut non prorsus jacere neglectus videretur, duoque tribus saeculis extitissent viri, quibus aliquantum deberet historicorum ille princeps, alter Henricus Stephanus, qui, nactus praeclarum quendam librum manu scriptum, spreto, ubicunque spernenda videbatur, prava exemplorum ante ipsum editorum auctoritate, novi verborum contextus, quem vocant, auctor extitit, idemque de interpretando Thucydide ejusque scholiastis optime est meritus, Dukerus alter, qui, qua fuit ingenii subtilitate Graecaeque linguae scientia, explicando novam permultis locis lucem affudit: tot tamque eximios nostra aetas viros vidit, qui ad Thucydidem conferrent operam, ut plus horum triginta annorum studia ad illum vel interpretandum, vel sinceram ejus manum restituendam fructus tulerint, quam tria, quae antecesserunt, saecula. Quo nomine duo praeter ceteros viri summis laudibus praedicandi sunt, Imm. Bekker atque Ern. Frid. Poppo. Ex quibus ille, quae est ejus sagacitas ingeniumque prope divinum, quod in plerisque, qui ex Graeca antiquitate ad nostram aetatem pervenere, libris praestitit, ut genuinae eorum integritatis, quantum quidem fieri posset, restitutor evaderet, idem in Thucydide adhibitis novis libris mscr. rectiusque aestimato tum horum, quos ipse primus inspexisset, tum eorum, qui olim inter se comparati essent, pretio effecit. Quam laudem praeripuisse quodammodo Popponi videri potest, ni Bekker praevertisset, similia praestituro. At ne sic quidem Popponis de Thucydide merita non sunt maxima, utpote cui resuscitatorum quasi apud nostrates Thucydidis studiorum laus debeatur. Is enim omnium primus in eo libro, qui „observationes criticae in Thucydidem“ inscriptus est, quem ante hos duodetriginta annos edidit, religiosissime examinationis fontibus, unde eum, qui in edenda Thucydidis historia sinceram ejus manum vellet restituere, haurire oporteret, maximeque codicum manu scriptorum auctoritate accuratissime ponderata, viam monstravit, qua esset incedendum, si quis posthac in se vellet suscipere, emendare librum Thucydidis. Etenim diversas esse docuit eorum, qui belli Peloponnesiaci historiam continerent, co-

dicum mscr. quasi familias, quae antiquitate, dignitate, fide multum inter se differrent, librosque mscr., qui tum inter se collati essent, pro ipsorum indole ita disposuit, ut ad quam quisque referendus esset familiam, ipsaeque hae familiae quales essent, appareret. Qua re id effectum est, ut haberemus jam certam quandam normam atque regulam, ad quam dirigeretur, ubicunque inter se differret codicum scriptura, iudicium. Nam quamquam vel optimi libri prava saepe exhibent, iique ipsi, qui longe inferioris notae sunt, aliquot locis soli genuinam scriptoris manum servant, nec raro ea in omnibus leguntur, quae non potuisse sic a Thucydide scribi apertum est: in universum tamen, qui libri prae ceteris sequendi sint, jam satis constat, a quibus non sine justa causa discesseris. Quorum vestigia Poppo ipse et ante eum Imm. Bekker in edenda Thucydidis historia secuti eam ejus exhibere formam, quae, quum ipsi nonnunquam quidem inter se differrent, plerumque tamen idem utriusque placuisset, ubique fere etiam reliquis, qui post eos Thucydidem edidere, probata est.

In interpretando Thucydide haud pauci nostra aetate docti homines magna cum laude versati sunt, inter quos ex nostratibus Haackius, Goeller, Poppo, ex Britannis Arnoldus et Bloomfieldius praecipuo honore nominandi sunt. Quorum opera id effectum est, quod vere gloriatur Odofr. Mueller *), quum ipse Cicero conquestus sit, Thucydidis conciones quod ita multas haberent obscuras abditasque sententias, vix ut intelligerentur, ut hodie haud ita multa in eo sint scriptore, quae nos non intelligere fateamur. Quamquam qui satis noverit, quo loco res sit, non infitiabitur, quantacunque sint illorum virorum de interpretando Thucydide merita, attamen haud paucos superesse locos, in quibus veram scriptoris sententiam nondum satis perspectam habeamus. Quod nescio an secus foret, si Popponi, summae doctrinae, solertiae, diligentiae viro eo placuisset procedere, ut expositis reliquorum interpretum sententiis ipse, de quoque loco quid censeret, profiteretur, quod non ubique ita factum est, ipsius sententia ut satis sit perspicua. Etenim quae hodie quoque ad intelligendum Thucydidem reliquae sunt difficultates, eae maximam partem non ita videntur comparatae, ut, depravata librorum scriptura, conjectando quaerenda sit medela, aut a novorum codicum manu scriptorum ope, si quis forte quem repperit, subitam quandam lucem sperare liceat, sed longe plurimarum, si quid video, haec est natura, ut diligentius investiganda scriptoris mente verborumque, uti nunc scripta leguntur, sententia rectius interpretanda removeri debeant. Quae vere a nobis ita disputata esse ut appareat, hac opportunitate data aliquot Thucydidis locos in animo est pertractare, quorum sententia nondum videtur satis enodata. Quorum sunt, in quibus ad conjecturas confugiendum sibi statuerent interpretes, quibus supersedissent, si satis perspexissent scriptoris sententiam. Sumsimus autem omnes, de

*) Ofr. Müller Geschichte der griechischen Literatur II, p. 368: Auch war Thucydides den Griechen und Römern der Zeit um nichts leichter, als er es den Kennern des Griechischen heut zu Tage ist; ja wenn man findet, daß schon Cicero die Reden in seinem Werke kaum verständlich nennt (Cic. orat. 9, 30): so darf die Philologie unserer Tage stolz darauf sein, daß ihr kaum irgend etwas darin unverständlich geblieben ist.

quibus disputaremus, locos ex libri tertii initio, ut quam ampla in Thucydide vel post diligentissimam summorum virorum operam interpretandi reliqua sit materia appareat.

I. Nihil mutandum esse apud Thucydidem lib. III cap. 12 in hisce verbis: *εἰ γὰρ δυνατοὶ ἡμεῖν ἐκ τοῦ ἴσου καὶ ἀντεπιβουλεύσαι καὶ ἀντεπιμελλῆσαι, τί ἔδει ἡμᾶς ἐκ τοῦ ὁμοίου ἐπ' ἐκείνοις εἶναι; ἐπ' ἐκείνοις δὲ ὄντος ἀεὶ τοῦ ἐπιχειρεῖν, καὶ ἐφ' ἡμῖν εἶναι δεῖ τὸ προαμύνασθαι.*

Primus, de quo dicturi sumus, locus concionis est, quam post Mytilenaeorum ab Atheniensibus defectionem illius civitatis legati, ad implorandam Peloponnesiorum opem missi, Olympiae habuere coram Lacedaemoniis eorumque sociis. Ii memores recepti inter Graecos moris, quo, qui inter bella a sociis descivissent, vel ab iis, quorum foederi sese adjunxissent, minoris aestimari solerent, utpote quorum fides ne novis quidem sociis satis certa videretur, nihil antiquius habent, quam ut ab eo crimine civitatem suam purgent. Concedunt autem, justum esse illud institutum, ubicunque inter eos, qui foedere conjuncti fuerint, mutua intercesserit voluntas benevolentiaque, nec ulla, quum potentia quoque pares essent, defectionis causa fuerit. Quam fuisse foederis Mytilenaeorum et Atheniensium naturam atque conditionem negant. Etenim Athenienses, reliquis sociis subactis Mytilenaeorum civitate viribus longe superiores, aegre ferentes horum libertatem, opportunam aliquam circumspexisse occasionem, qua hos quoque in suam ditionem redigere liceret, Mytilenaeos vero, suspectam habentes Atheniensium fidem, non nisi metu coactos in illorum permansisse societate, ut apparuerit, non fidam sibi intercedere cum Atheniensibus amicitiam, sed quae mutui metus vinculo contineretur, et utris offerretur primis impune violandi foederis opportunitas, ab iis haud dubie violatum iri. Itaque si quis injuste fecisse Mytilenaeos statuatur, quod non exspectato Atheniensium impetu defecerint, iniquum esse judicem, quum non ea fuerit Mytilenaeorum potentia, ut tranquilli, Athenienses num hostile quid essent conaturi, exspectare potuerint, ab illis si injuriarum initium fieret, et ipsi insidias paraturi, Athenienses si cunctarentur, ipsi quoque cunctaturi, sed tanto viribus superiores fuerint Athenienses, impune ut licuerit, quandocumque placeret, Mytilenaeos aggredi. Quare injuste facere, qui sese vituperandos existimet, quod defectione illorum praeverterint injurias.

Hancce, quam ultimo loco proposui, sententiam, si libris mscr. fides est, sic expressit Thucydides lib. III cap. 12: *εἰ γὰρ δυνατοὶ ἡμεῖν ἐκ τοῦ ἴσου καὶ ἀντεπιβουλεύσαι καὶ ἀντεπιμελλῆσαι, τί ἔδει ἡμᾶς ἐκ τοῦ ὁμοίου ἐπ' ἐκείνοις εἶναι; ἐπ' ἐκείνοις δὲ ὄντος ἀεὶ τοῦ ἐπιχειρεῖν, καὶ ἐφ' ἡμῖν εἶναι δεῖ τὸ προαμύνασθαι.* Sed ambigitur, librorum cum non consentiat scriptura, prima sententiae pars num ita, uti nos modo dedimus, a Thucydide profecta sit. Namque quum vulgo legeretur *ἀντεπιμελλῆσαι*, quod verbum, quamquam ab uno ex scholiastis agnoscitur, non esse Graecum Poppo docuit, optimi libri fere omnes *ἀντεπιμελλῆσαι* praebeant: recentes Thucydidis interpretes, quod sciam, omnes *ἀντιμελλῆσαι* dedere, quod in uno libro mscr. invenitur, cujus exigua est dignitas. Mutandi autem haec causa fuit, quod „*ἀντεπιμέλλειν*” verbum esset

nihili, quod librariis obrepisset consueto ex praecedenti ἀντεπιβουλεύσαι, uti infra cap. 104 μήτ' ἐναποδνήσκειν μήτ' ἐναποτίκτειν liber unus pro ἐντίκτειν praebeat⁴. Quae Ludovici Dindorfii verba sunt. Qui si quaeras cur ἀντεπιμέλλειν ut non Graecum damnaverit, duplex videtur afferri posse ratio, aut quod id verbum hoc uno apud Graecos scriptores loco inveniatur, aut quod pro vi atque natura praepositionis ἐπί nullus, qui ferri possit, sensus evadat, eam si cum verbo μέλλειν conjungas. At si quis ideo ἀντεπιμέλλειν repudiandum censeat, quod alibi id verbum non legatur, vereor, ne ἀντιμέλλειν non magis ferendum sit, quum ne id quidem, nisi hoc uno loco, reperiatur. Superest igitur, ἀντεπιμέλλειν qui aspernentur, ii ut justum eam compositionem sensum praebere negent, quae Bloomfieldii sententia est. Sed equidem non video, in ἀντεπιμέλλειν cur non possit praepositio ἐπί eandem habere vim, atque in ἐπιβουλεύειν, consilia adversus aliquem inire, ἐπαπειλεῖν, minas jactare adversus aliquem, ἐπιμηχανᾶσθαι, moliri aliquid adversus aliquem (ut apud Quintum Smyrn. 14; 427 est: οὐκέτ' ἀνεκτὰ θεοῖς ἐπιμηχανόωνται ἄνθρωποι), multisque aliis ejusdem generis compositionibus, in quibus ea est praepositionis natura, ut significet, fieri aliquid hostili adversus alterum animo. Athenienses enim sive insidias Mytilenaeis struunt, sive differunt, hostili id adversus eos animo faciunt, quum non eo procrastinent impetum, quod incepti eos poeniteat, sed quo certior paullo post illorum sit pernicietas. Meditantur igitur sociorum incommodum, vel ubi cunctantur, quum id ipsum insidiosae faciunt, id quod addita cunctandi verbo praepositione ἐπί Thucydides expressit. Jam igitur hoc Mytilenaeorum legati negant, valere se, pari atque Athenienses potentia praeditos, de eventu vel maxime securos, ubi illi insidias sibi parent, iis et ipsos insidiari, ubi illi differant, quo certior sit paullo post victoriae spes, ipsos quoque rem extrahere, cunctatione ipsa illorum perniciem molientes (ἐπιμέλλοντες Ἀθηναίοις). Accedit, quod cujusque generis antithetorum ex illius aetatis more ita studiosus est Thucydides, ut non universas solum sententias earumve partes, ubicunque major quaedam inde vis orationi oritur, sed singulas voces tam artificiose inter se opponat, ut vel ex litterarum sonitu vocem voci oppositam vellè scriptorem auribus percipias. De quo sermonis Thucydidei usu, quem jam Dionysium agnovisse satis constat (Dionys. historiographica ed. Krueger p. 130: εὗροι δ' ἂν τις οὐκ ὀλίγα καὶ τῶν θεατρικῶν σχημάτων κείμενα παρ' αὐτῷ, τὰς παρισώσεις λέγω καὶ παρονομασίας καὶ ἀντιθέσεις, ἐν αἷς ἐπλέονασε Γοργίας ὁ Λεοντῖνος καὶ οἱ περὶ Πῶλον καὶ Λυκόμνιον καὶ πολλοὶ ἄλλοι τῶν κατ' αὐτὸν ἀκμασάντων), audiamus praeclare, uti solet, disputantem Odofr. Muellerum (Geschichte d. griech. Literatur II, p. 366): Diese Art des Satzbaues gehört dem historischen Stil des Thucydides eigenthümlicher an; gemeinsam dagegen mit dem ganzen Zeitalter ist ihm die in den Reden herrschende symmetrische Architectonik der Rede, dies Spalten und Gegenüberstellen der Begriffe, dies Vergleichen und Unterscheiden, dies Herüber- und Hinüberblicken, wodurch eine eigene, wiegende Bewegung in Geist und Rede kommt. Wie wir schon bei Antiphon gesagt haben, ist diese antithetische Redeweise von Haus aus keine leere Manier, sie ist ein Produkt des attischen Scharf-

sinnes und Witzes, aber sie ist unläugbar, unter dem Einflusse der sophistischen Redekunst, in Manier ausgeartet; und Thucydides selbst ist voll von Künstlichkeiten der Art, bei denen man oft nicht weiß, ob man die Feinheit der Gedanken-Spaltung bewundern, oder sich über die alterthümlich affektirte Zierlichkeit mehr verwundern soll — besonders wenn zu den innern Verhältnissen der Gedanken und Begriffe noch die äußern Zierden der Isokola, Homöoteleuta, Paracesen und dergl. hinzukommen. Quo studio adductus Thucydides, qui *ἐν πᾶσι φεύγει τὴν συνήθειαν*, haud raro ea dicere ausus est, quae a consueto sermonis usu recederent, cujus rei unum afferam exemplum, nostro loco haud dissimile, ex lib. II cap. 44, ubi haec verba sunt: τὸ δ' εὐτυχές (ἐστιν), οἷς ἐνευδαιμονῆσαι τε ὁ βίος ὁμοίως καὶ ἐντελευτῆσαι ξυνεμετρήθη. Quo loco nescio, verbum *ἐντελευτῆσαι* an et ipsum a Thucydide novatum sit, quum id semel praeterea apud Libanium (vol. I p. 532, 14, quem locum H. Stephani thesauro debeo) legatur, qui a Thucydide mutuatus esse videri potest. Sed utut id est, sic eo verbo usus est Thucydides, ut ei, quod antecedit, verbo *ἐνευδαιμονῆσαι* nonnihil concessum esse appareat, quum, per se si spectaveris, satis mire sane dictum foret: *τελευτῆσαι ἐν τῷ βίῳ*. Cf. nos disputantes de ea re ad interpretationem Germanicam I. I.

Nec magni ad defendendum *ἀντιμελλῆσαι* momenti est, quod unus ex scholiastis id in eo, quo ipse usus est, libro repperisse videri potest, cujus haec verba sunt: *εἰ γὰρ ἴσοι, φησὶν, αὐτοῖς ὑπὸρχομεν κατὰ δύναμιν, ὥστε καὶ ἐπιβουλεύουσιν αὐτοῖς ἀντεπιβουλεύσαι, καὶ βραδυνόντων αὐτῶν καὶ μελλόντων ἀντιμελλῆσαι καὶ ἀντιβραδύναι, τί ἔδει ἡμᾶς ὑπ' ἐκείνοις ταχθῆναι ἢ ὑπακούειν αὐτοῖς;* Quidni enim Thucydidis sententiam omisso *ἐπί* sic etiam is potuerit explicare, qui *ἀντεπιμελλῆσαι* legeret? Id igitur tutissimum videtur ut suadentibus plurimis optimisque libris retineamus.

Sed vehementer sollicitavit interpretes eorum, quae proxime sequuntur, verborum explicatio. De quibus quid sit statuendum ut facilius appareat, antecedentem adscribamus necesse est sententiam, ex ea quum maximam partem pendeat de sequentium vi iudicium. Est autem haec: *ὥστε, εἰ τῷ δοκοῦμεν ἀδικεῖν προαποστάντες διὰ τὴν ἐκείνων μέλλησιν τῶν ἐς ἡμᾶς δεινῶν, αὐτοῖς οὐκ ἀνταναμείναντες σαφῶς εἰδέναι, εἴ τι αὐτῶν ἔσται, οὐκ ὀρθῶς σκοπεῖ, i. e. „quare si cui propterea, quod illi mala nobis inferre cunctabantur, injuste agere videmur, quod ante defecerimus, non exspectantes, dum plane sciremus, num quid eorum futurum esset, is non recte sentit“.* Quibus verbis addit deinde eam, quam supra scripsimus, sententiam: *εἰ γὰρ δυνατοὶ ἦμεν ἐκ τοῦ ἴσου καὶ ἀντεπιβουλεύσαι καὶ ἀντεπιμελλῆσαι, τί ἔδει ἡμᾶς ἐκ τοῦ ὁμοίου ἐπ' ἐκείνοις εἶναι; ἐπ' ἐκείνοις δὲ ὄντος αἰεὶ τοῦ ἐπιχειρεῖν, καὶ ἐφ' ἡμῶν εἶναι δεῖ τὸ προαμύνασθαι:* qua quidem apertum est contineri caussam, cur non recte sentiant, qui injuste fecisse Mytilenaeos statuunt. Eam vero apparet nullam fere potuisse aliam afferri, nisi hanc, non eam fuisse Mytilenaeorum conditionem, ut tranquilli possent exspectare, dum ab Atheniensibus aggrediendi fieret initium. Quam sententiam ex verbis ut eliceret, Kistemaker, mutata interrogandi vocula *τί* in indefinitum *τι*

sic interpretatus est: aliquatenus oporteret propter aequalitatem nos esse penes eos i. e. aliquatenus oporteret, quum potentia iis pares essemus, nec quidquam nobis esset ab iis timendum, in eorum societate permanere. Sed displicet in ea verborum explicatione illud *τι* praeter necessitatem additum, displicet, ea vocula, in qua nulla prorsus vis est, quod sic foret vel ab initio totius sententiae posita, quasi praecipua quaedam ejus esset auctoritas. Quae quantopere abundet, inde apparet, quod Bredovius, qui et ipse, praeunte Heilmanno, *τι* in *τι* mutandum censet, non audet affirmare, Heilmannus in interpretatione vernacula num id cum *ἀντεπιμελλῆσαι* an cum *ἔδει* conjunxerit, nec magis id ex ea, quam ipse dedit, interpretatione intelligas. Is enim universam sententiam Germanice sic reddidit: Denn wenn wir stark genug wären, ganz auf gleichem Fusse ihnen entgegen Plane zu bereiten, und ihnen entgegen zu zaudern, dann müßten wir uns auch ganz nach ihnen richten (und nur wenn sie angriffen, uns wehren); da es aber von ihnen abhängt, jeden Augenblick uns anzugreifen, so muß es auch von uns abhängen, uns zum voraus dagegen zu wehren, quibus verbis *τι* omnino non expressum est. In reliqua verborum serie Bredovium *εἶναι ἐκ τοῦ ὁμοίου ἐπὶ τινι* vidimus interpretatum esse: sich nach jemand richten, alicujus exemplum eodem, quo is praecit, modo sequi, quam interpretationem Haackio probavit, ipse fortasse unius ex scholiastis vestigia secutus, qui *ἐκ τοῦ ὁμοίου ἐπὶ ἐκείνοις εἶναι* sic explicuit: *ἡγοῦν κινουμένων ἐκείνων κινηθῆναι καὶ ἡμᾶς*. Sed recte Poppo monuit, „locutionis *εἶναι ἐπὶ τινι*, quae sexcenties legatur, et hic statim post vulgari modo posita reperiatur, notionem non licere nobis arbitrato nostro constituere, nec dicere, quid nobis de ea videatur, sed quid valeat ex usu linguae“. Valet autem: esse penes aliquem sive in alicujus potestate. Itaque Poppo, quum ipsi quoque eo universae verborum seriei sensu, quem Bredovius instituerat, non posse alius aptior esse videatur, minimo interpunctionis signo, quo vulgo post *ἀντεπιμελλῆσαι* (*ἀντιμελλῆσαι*) distinguitur oratio, cum Haackio post *τι* posito, ut ea vocula cum *ἀντεπιμελλῆσαι* (*ἀντιμελλῆσαι*) jungatur, illum sensum ut eliciat, praepositionem *ἐπὶ*, quae vel ex initio pronominis *ἐκείνος* facile nasci, vel etiam ex sequentibus huc transferri potuerit, delendam censet, sicuti *ἐκ τοῦ ἴσου τινὶ γίγνεσθαι*, alicui parem fieri, supra II, 3 legatur, totum locum jam sic interpretatus: si enim aequae potentes essemus et ad insidias vicissim struendas et ad vicissim cunctandum in re quapiam, oportebat nos similes in agendo illis esse. At praeterquam quod satis audax videtur remedium, in vifis libris omnibus ejicere *ἐπὶ*, jure Popponi objicit Goeller, *ἐκ τοῦ ὁμοίου εἶναι* non significare similem in agendo esse, sed in gleichen Umständen vel im Gleichgewicht der Macht sein, id quod exemplis ex ipso Thucydide prolatis comprobavit, et frigere inutile illud addidamentum *τι*. Nec magis, ut arbitror, placebit Hermanni ratio, qui, tota enunciatione sic distincta: *εἰ γὰρ δυνατοὶ ἡμεῖς ἐκ τοῦ ἴσου καὶ ἀντεπιβουλευσάμενοι, καὶ ἀντιμελλῆσαι (ἀντεπιμελλῆσαι), τι ἔδει ἡμᾶς ἐκ τοῦ ὁμοίου ἐπὶ ἐκείνοις εἶναι*, hunc eorum verborum sensum esse vult: si enim possemus aequae insidias vicissim struere, etiam aequae cun-

ctari vicissim aliqua in re oportebat nos, quantum quidem per illos liceret. Quamquam enim, eam si sequaris hujus loci explicationem, τὴν quidem non sine justa causa additum apparet, non demonstravit Hermannus, ἐπ' ἐκείνοις εἶναι sic dici potuisse pro τὸ ἐπ' ἐκείνοις εἶναι, et, si demonstrasset, certe prorsus inutile additamentum haec verba forent, quod abesse malles.

Quae commemoravimus adhuc doctorum hominum de hoc loco sententias, in eo omnes consentiunt, quod ad eliciendum probum sensum emendationem aliquam eorum, quae libri mser. praebent, verborum requiri censent. Superest, ut ad eos nos convertamus, qui, librorum vestigia secuti, non emendatione, sed interpretatione opus esse statuunt. Inter quos primo loco Portus nominandus, qui totum locum sic interpretatus est: Nam si pari potentia praediti, et insidias ipsis mutuo struere, et vicissim in aliud tempus eas differre possemus, quid opus esset nos, qui potentia pares essemus, in ipsorum potestate esse? Quem Hobbesius, Levesquius, Gailius, Dukas secuti sunt. Ipse autem Portus haud dubie unum ex scholiastis ante oculos habuit, cujus verba, quae supra aliam ab eadem adscripseramus, hoc loco repetam: εἰ γὰρ ἴσοι, φησὶν, αὐτοῖς ὑπὸ ἰσότητος κατὰ δύναμιν, ὥστε καὶ ἐπιβουλεύουσιν αὐτοῖς ἀντεπιβουλεύσαι, καὶ βραδυνόντων αὐτῶν καὶ μελλόντων ἀντιμελλῆσαι καὶ ἀντιβραδύναι, τί ἔδει ἡμᾶς ὑπ' ἐκείνοις ταχθῆναι ἢ ὑπακούειν αὐτοῖς; cum eo enim Portus fere consentit, nisi quod scholiastes ἐκ τοῦ ὁμοίου prorsus omisit. Sed in triplicem Popponis reprehensionem incurrit illa Porti interpretatio. Nam is verba ἐκ τοῦ ὁμοίου negat significare qui vel si potentia pares essemus, nihil aliud valere affirmans, quam similiter, cui in priore inciso respondeat ἐκ τοῦ ἴσου, pariter. Nec posse fieri, ut εἶναι ἐπὶ τινι, quod omnino ab εἶναι ὑπὸ τινι aliquantum differat, subjectum esse notet hoc loco, ubi ἐπὶ statim bis legatur in ea, quam plerumque in hac formula habeat, significatione, ut sit penes. Denique, quod gravissimum sit, abhorrere hanc sententiam a disputationis serie.

Quae si accuratius consideraveris, apparet, eam, quam secundo loco posuit, vituperationem non cadere in Portum, quippe qui verba εἶναι ἐπὶ τινι, quae quid differant ab εἶναι ὑπὸ τινι videre licet apud Spohnium ad Isocr. Paneg. cap. 29 et Kruegerum ad Xenoph. Anab. I, 1, 4, non interpretatus sit subjectum esse alicui, sed esse in alicujus potestate, quae propria est hujus formulae significatio, qua bis hoc ipso loco redit. Verius scholiastes reprehendi poterat, qui quum ἐπ' ἐκείνοις εἶναι interpretetur ὑπ' ἐκείνοις ταχθῆναι ἢ ὑπακούειν αὐτοῖς, non satis memor fuit discriminis, quod intercedit inter εἶναι ἐπὶ τινι et εἶναι ὑπὸ τινι. — De verborum ἐκ τοῦ ὁμοίου vi ac potestate ut certius sit iudicium, quum Poppo eum posse eorum sensum esse neget, quem Portus voluerat, ut significant qui potentia pares essemus, paullo accuratius in hujusce generis locutionum, ex praepositionibus ἐξ seu ἀπό et genitivo casu nominis adjectivi neutrius generis compositarum, naturam inquiramus necesse est. Quarum haec est pro istarum praepositionum vi propria significatio, ut indicent, proficisci aliquid ab eo, quod

adjectivo nomine indicatur, ubi nos quidem patrio sermone utentes von — aus dicimus. Sic ὁ ἐκ τοῦ ἀσφαλοῦς προκαλούμενος (I, 39) proprie is dicitur, qui ex tuto, i. e. qui, in tuto loco versans, ex eo provocat, et τὸ δ' ἐκ τοῦ δικαίου ἡμῖν μᾶλλον νῦν περιέσται (II, 89) si ad verbum velis Latine reddere, dicendum erit: id vero, si ex justo, i. e. in iudicando inde proficiscentes, unde justitia, ut proficiscamini, requirit, rem spectaveritis, nobis potius nunc erit commodum. Deinde, imminuta, ut fieri solet, praepositionis vi hae locutiones sic usurpantur, ut fungantur fere adverbiorum vice, nec multum significatione differat ἀπὸ τοῦ ἀδοκίτου (VI, 47) ab ἀδοκίτως, et verba ἐκ τοῦ εἰκότως (VII, 66) proxime accedant ad adverbii εἰκότως vim. Duplici hac, si duplicem vocare velis, significatione, uti omnes ejusdem generis locutiones sic ἐκ sive ἀπὸ τοῦ ἴσου vel ὁμοίου quoque usurpatur, id quod sexcentis apud Thucydidem ipsum exemplis satis comprobatur, ex quibus pauca hoc loco attulisse satis erit. Etenim quae verba I, 143 leguntur: καὶ τὰ μὲν Πελοποννησίων ἔμοιγε τοιαῦτα καὶ παραπλήσια δοκεῖ εἶναι, τὰ δὲ ἡμέτερα τούτων τε ὥνπερ ἐκείνοις ἐμεμφάμην ἀπηλλάχθαι καὶ ἄλλα οὐκ ἀπὸ τοῦ ἴσου μεγάλα ἔχειν, in iis sensu non mutato pro ἀπὸ τοῦ ἴσου scripseris ἴσως μεγάλα, pariter magna. Magis conspicua est praepositionis vis I, 77: οἱ δὲ εἰθισμένοι πρὸς ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ ἴσου ὁμιλεῖν, at illi, assueti ex aequo, i. e. ab aequis conditionibus proficiscentes seu aequo jure, nobiscum versari; cui loco conferas III, 11: ὑποχειρίους δὲ ἔχοντες τοὺς πλείους, ἡμῖν δὲ ἀπὸ τοῦ ἴσου ὁμιλοῦντες, χαλεπώτερον εἰκότως ἐμελλον οἴσων, et Tacit. Agric. 20: quibus rebus multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, datis obsidibus iram posuere. I, 99: οἱ Ἀθηναῖοι οὔτε ξυνεστράτευον ἀπὸ τοῦ ἴσου ῥάδιόν τε προσάγεσθαι ἦν αὐτοῖς τοὺς ἀγισταμένους, i. e. Porto interprete: Athenienses neque ex aequo cum sociis militabant, et facile iis erat, eos, qui deficerent, in officium redigere. IV, 117: καὶ ἐμελλον ἐπὶ μῆζον χωρήσαντος αὐτοῦ καὶ ἀντίπολα καταστήσαντος τῶν μὲν στέρεσθαι, τοῖς δ' ἐκ τοῦ ἴσου ἀμνόμενοι κινδυνεύειν, quae verba Portus sic interpretatus est: et si ipse majores progressus fecisset, et res aequasset, futurum putabant, ut his quidem privarentur, cum illis vero aequis viribus (ad verbum si expresseris: ab aequis viribus proficiscentes) certantes belli fortunam periclitarentur. Quod si jam quaesiveris, nostro loco locutiones ἐκ τοῦ ἴσου et ἐκ τοῦ ὁμοίου quam vim habeant, utraque ratione intellexeris, proba nascitur sententia. Etenim si adverbiorum ἴσως et ὁμοίως vice fungi statueris, is oritur totius loci sensus, quem Arnoldus his verbis expressit: „if we were able as well as they to contrive against them, and to wait our time for carrying our plans into effect, as they do towards us (ἀντιμελλῆσαι), what need was there for our being dependent upon them as we are now?“ „If we were their equals in power, why should we be, as we are, their subjects?“ Quocum Bloomfieldius consentit, qui in recentissima Thucydidis editione hanc dedit loci interpretationem: „for if we were on an equal footing with them, — able both to counter-counsel (or contrive plans against

them) and to counter-forbear or delay [as they do towards us], — what obligation was there fere for us in like manner (i. e. as the case now stands) to be dependent upon them? Quamquam si sic interpreteris ἐξ τοῦ ἴσου et ἐξ τοῦ ὁμοίου, ea re nonnihil offendimur, quod eae locutiones, quarum alteram apertum est respondere alteri, ad diversos referuntur, ἐξ τοῦ ἴσου ad Athenienses, ἐξ τοῦ ὁμοίου ad Mytilenacos. Ita enim hoc diceret orator: „si aequae potentes essemus, atque illi sunt, quid necesse esset, ut eorum arbitrio aequae obnoxii essemus, atque nos sumus“. Quare potius videtur, ἐξ τοῦ ἴσου et ἐξ τοῦ ὁμοίου sic interpretari, ut servetur propria praepositionis vis, quo facto haecce nascitur totius loci sententia: nam si satis potentes essemus, ut ab aequis viribus proficiscentes (i. e. aequis viribus) possemus aequae et insidias vicissim iis struere et vicissim cunctari adversus eos (ἀντεπιμελλῆσαι), quid oporteret, quum a simili jam conditione proficisceremur (i. e. simili jam atque ipsi conditione uteremur) nos ab illorum arbitrio pendere? Quam interpretationem apparet proxime accedere ad eam, quam Portus dederat. Quae ne cui forte ideo minus probanda videatur, quod ἐξ τοῦ ὁμοίου abundet, ea verba quum idem, quod ἐξ τοῦ ἴσου, significant, monemus, aliquantum differre earum locutionum vim, id quod vel ex ea, quam modo proposuimus, interpretatione Latina satis apparet, ἐξ τοῦ ἴσου quum ad solam Atheniensium potentiam respiciat, ἐξ τοῦ ὁμοίου ad totius conditionis similitudinem, qua Mytilenacos atque Athenienses futuros fuisse statuit orator, si pares potentia fuissent. — Superest, ut ad id respondeamus, quod Poppo sententiam a Porto expressam, quam paullulum immutatam nos quoque probamus, affirmat abhorrere a disputationis serie, ex qua nihil hic dici possit nisi: si enim pares essemus Atheniensibus, etiam simili modo in eos nos gerere opus erat, quam sententiam certe sic exprimere debebat: nam tum demum simili in Athenienses modo nos gerere debebamus, atque illi in nos sese gerebant, si iis pares essemus. At non minus proba nascitur disputationis series ex ea, quam nos iniimus, ratione, ex qua jam haec est universi loci sententia: „Quare si quibus propterea, quod illi mala nobis inferre cunctabantur, injuste agere videmur, quod ante defecerimus, non exspectantes, dum plane sciremus, num quid eorum futurum esset, ii non recte sentiunt. Nam si ea esset nostra potentia, uti sic, ut illi postulant, ad Atheniensium exemplum possemus sine ullo periculi metu nos conformare, insidias struentibus Atheniensibus et ipsi insidiantes, ubi illi cunctarentur, ipsi quoque cunctantes, quid opus erat, nos in illorum potestate esse et ab eorum arbitrio pendere? Atqui sumus in Atheniensium potestate: ergo intelligitur, non eam esse nostram potentiam, sic ut agere potuerimus, uti ii nobis agendum fuisse censent, qui nos vituperant“. Qua disputationis serie quum nihil possit aptius inveniri, non magis, quam reliquorum, qui aliquid mutandum censuere, Goelleri conjectura ἐπ' ἐκείνοις ἔναι pro ἐπ' ἐκείνοις εἶναι commendantis probanda est, vel si ἔναι ἐπί τινι, aggredi aliquem, pro ἐπιέναι τινί vel ἔναι ἐπί τινι dicere liceret, id quod non sine causa, uti videtur, Poppo fieri posse negat.

2. Item alio ejusdem capituli loco librorum mscr. auctoritas adversus doctorum hominum conjecturas defenditur.

In eadem concione orator Mytilenaeus postquam enumeravit causas, quibus factum sit, ut Mytilenaei servarent adhuc pristinam libertatem, nondum subacti ab Atheniensibus instar reliquorum sociorum, initio cap. 12: *τίς οὖν*, inquit, *αὕτη ἢ φιλία ἐγένετο ἢ ἐλευθερία πιστή, ἐν ἧ παρὰ γνώμην ἀλλήλους ὑπεδεχόμεθα, καὶ οἱ μὲν ἡμᾶς ἐν τῷ πολέμῳ δεδιότες ἐθεράπευον, ἡμεῖς δὲ ἐκείνους ἐν τῇ ἡσυχίᾳ τὸ αὐτὸ ἐποιοῦμεν.* Quo loco quum libri omnes ea praebeant verba, quae nos modo scripsimus, Ludovico Dindorfio potius *τίς οὖν αὕτη ἢ φιλία ἐγένετο ἢ ἐλευθερία πιστή* scribendum esse visum est, quae conjectura Popponi et Bekkero tanto opere arrisit, ut, sprete vulgata lectione, in ipsam verborum seriem reciperent. Unde ad sensum id nascitur discriminis, ut, vulgatam lectionem si retineas, *τίς* sit pro praedicato, subjectum sit *αὕτη ἢ φιλία ἢ ἐλευθερία πιστή*, quae verba Latine sic expresseris: quatenus (qualis) igitur erat haec amicitia vel libertas certa? Dindorfium si sequaris, *αὕτη* per se solum sit subjectum, *τίς ἢ φιλία ἢ ἐλευθερία πιστή* praedicatum, ut si Latine dixeris: haec igitur quatenus aut amicitia erat aut libertas certa? Quae quidem sententia tam apta est, ut, si in libris scriptum extaret *ἢ φιλία*, nemo jure offenderet. Nam quod Goeller monet, sic non bene convenire adjectivum *πιστή* ad *ἐλευθερία* additum, propterea quod, dum quaerat orator, qualis fuerit haec amicitia vel libertas, non possit in ipsa interrogatione includere, quid fuerit, dicens *ἐλευθερίαν πιστήν*, id, quamquam Goellero assentitur Bloomfieldius nihili est, et jure Poppo quaesivit, quidni quis dixerit: was war dieses also für eine zuverlässige Freiheit oder Freundschaft? i. e. haec igitur quo jure firma vel amicitia vel libertas vocetur? Sed quum non sic in veterum scriptorum libris vel legendis vel edendis versandum sit, uti quaeramus, conjectando num possimus probam sententiam ex loco aliquo elicere, sed sic, ut tum demum ad conjecturas confugiamus, ubi ea, quae in libris sunt, verba nullo modo explicari posse perspexerimus: antequam Dindorfii conjectura probetur, videamus necesse est, vulgata lectio num nullo pacto possit sic intelligi, ut proba sententia nascatur. Eam ex recentioribus inter Germanos Britannosque Thucydidis interpretibus nonnisi Haackius servavit atque Bloomfieldius, quamquam is in cod. Clarend. *ἢ φιλία* scriptum invenerat; nam Arnoldus, quamquam *ἢ φιλία* retinuit, dubitanter loquitur, ut ipsi quoque *ἢ φιλία* praefendum videri appareat, Goeller autem, aliter ac vulgo fieri solet distincta oratione, sic scripsit: *τίς οὖν αὕτη ἢ φιλία ἐγένετο; ἢ ἐλευθερία πιστή, ἐν ἧ κ.τ.λ.* i. e. quatenus igitur haec amicitia erat? an ea libertas certa fuit, in qua etc. Contra quem merito Poppo monuit, id iccirco displicere, quia, ita si distinguatur, ea, quae proxime sequantur, verba *ἐν ἧ παρὰ γνώμην ἀλλήλους ὑπεδεχόμεθα, καὶ οἱ μὲν ἡμᾶς ἐν τῷ πολέμῳ δεδιότες ἐθεράπευον, ἡμεῖς δὲ ἐκείνους ἐν τῇ ἡσυχίᾳ τὸ αὐτὸ ἐποιοῦμεν*, quibus minus libertatem quam amicitiam non firmam fuisse demonstretur, non ad *φιλία*, sed ad *ἐλευθερία* pertineant.

Sed videamus, in vulgata lectione quid improbandum visum sit Dindorfio iisque, qui ejus vestigia secuti sunt. Id quid sit, Dindorfius ipse et Bekker non attigerunt, Poppo, si verba *αὐτῆ ἢ* etiam ad *ἐλευθερία πιστή* referantur, quo pertinere ea et per se apertum est et Arnoldus monuerat, *πιστὴ ἐλευθερία* scribendum fuisse dicit. Ad quam viri doctissimi, quo nemo in perspicendis Graecae linguae legibus diligentius versatus est, sententiam quum Bloomfieldius atque Haackius, quibus solis in vulgata lectione consistendum visum est, non ita responderint, eam ut refutarent, nos accuratius hoc loco, quid sit inter *ἢ πιστὴ ἐλευθερία* et *ἢ ἐλευθερία πιστή* discriminis, investigemus necesse est. Constat autem quatuor modis diversam esse rationem, qua nomen adjectivum cum substantivo articulum additum habente jungatur, quum adjectivum possit aut inter articulum et substantivum poni, aut post substantivum repetito articulo, aut ante articulum, aut post substantivum non repetito articulo. Itaque si adjectivum *ἀγαθός* jungere velis cum substantivo *ὁ ἀνὴρ*, recte dixeris aut *ὁ ἀγαθὸς ἀνὴρ*, aut *ὁ ἀγῆρ ὁ ἀγαθός*, aut *ἀγαθὸς ὁ ἀνὴρ*, aut *ὁ ἀνὴρ ἀγαθός*. Ad sensum autem si quaesiveris quid intersit inter diversas has rationes collocandi inter se verba, *ὁ ἀγαθὸς ἀνὴρ* qui dicit, nomen adjectivum cum substantivo sic conjungit, ut unam efficiant notionem, quae usitatissima est ratio addendi substantivo adjectivum, nisi forte quid est in sententia, quod cogat te, aliter ut verba colloques. *Ὁ ἀνὴρ ὁ ἀγαθός* si dicas, ab initio per se sola ponitur viri notio, quae accuratius deinde definitur addito adjectivo, quasi Latine dixeris: *vir, bonum dico*, germanice: *der Mann, und zwar der gute*. Jam si ita ordinentur verba, uti dicamus *ἀγαθὸς ὁ ἀνὴρ* aut *ὁ ἀνὴρ ἀγαθός*, enunciationis secundariae vice fungitur adjectivum, quam Latine aut pronomine relativo, aut conjunctione aliqua expresseris, veluti si dicas: *vir, qui bonus est*, aut: *vir, quum bonus sit*, aut: *vir, si bonus est*, hoc tamen discrimine, ut, si primo loco ponatur adjectivum, major sit in eo vis, quam si ultimo loco ponas. Possis denique, semel ut absolvatur res, addere quintam aliquam rationem jungendi cum substantivo adjectivum, ubi omissum ante nomen substantivum articulum adjectivo post substantivum collocato addideris; quamquam, si accurate rem spectaveris, ea dicendi ratio hanc ipsam ob causam, quod substantivum non additum habet articulum, huc non pertinet. Sed si quis dicit *ἀνὴρ ὁ ἀγαθός*, sic loquitur, ut indefinite ab initio ponat viri notionem, deinde, quum in cogitationem ei incidat, loqui sese de certo aliquo viro, quasi corrigens se adjectivo addat articulum, quem ante substantivum neglexerat. — Jam eo, unde profecta erat, ut disputatio redeat, fatemur, probam effectum iri sententiam, *πιστὴ ἐλευθερία* si legeretur. Sic enim orator non simpliciter, quaenam esset haec Mytilenaeorum libertas, quaereret, sed per acerbam ironiam adderet *πιστή*. Sed idem fere efficitur, *τίς οὖν αὐτῆ ἢ φιλία ἢ (αὐτῆ ἢ) ἐλευθερία πιστή* si legimus, nisi quod jam orator ab initio simpliciter, quaenam sit haecce amicitia aut libertas, quaerit, deinde ad *ἐλευθερία* sic addit *πιστή*, ut id adjectivum enunciationis secundariae loco sit, quasi Latine dixerit aliquis: quaenam igitur haec amicitia erat aut libertas, quam certam vocabant? Ita enim si loquitur orator, magna quaedam in eo est acerbitas, quod Athenienses, qui

Mytilenaeis vix speciem libertatis aliquam reliquissent, horum conditionem non libertatem, sed certam fidamque libertatem vocasse significat. Acquiescendum igitur hoc quoque loco in vulgata lectione.

3. Lib. III cap. 34 quaeritur num *ὑπὸ Ἰταμάνους καὶ τῶν βαρβάρων κατὰ στάσιν ἰδίαν ἐπαχθέντων*, an *ὑπὸ Ἰταμάνους καὶ τῶν βαρβάρων κατὰ στάσιν ἰδίᾳ ἐπαχθέντων* legendum sit.

Injecta Notii, oppidi in Asiae minoris ora siti, mentione Thucydides, capta per Itamanem atque barbaros Colophoniorum urbe partem civium in illud emigrasse oppidum ibique consedisse narrat, Itamanem atque barbaros *κατὰ στάσιν ἰδίαν* accitos esse addens. Quo loco *στάσις* intelligenda est discordia Colophoniorum intestina, qualis in Graecis urbibus inter plebem et optimates esse solebat, quae usitatissima est ejus vocis apud Thucydidem significatio; *κατὰ στάσιν* autem Latine interpreteris commodissime „propter discordiam intestinam“, quamquam vel propius accedit ad Graecae praepositionis vim nostrum in Folge innerer Zwietracht, qui non rarus est ejus praepositionis usus, ut IV, 24, ubi haec verba sunt: *καὶ μάλιστα ἐνήγον οἱ Λοκροὶ τῶν Πηγίων κατὰ ἔχθραν*. Sed in *ἰδίᾳ στάσει* haesere interpretes. Quam cum Portus interpretatus esset domesticam seditionem, jure Poppo monuit, *ἴδιος* non valere domesticus, nec magis licere verba cum Hier. Muellero reddere durch Einzelner Zwistigkeiten. Minus etiam Heilmanni placet interpretatio: welche der Rottengeist herbeigezogen hatte, aut Jacobi: welche eine aufrührerische Rotte hineingeführt hatte, a quibus *ἴδιος* prorsus omissum est. Bloomfieldius in interpretatione *στάσιν* hoc loco non seditionem, sed factionem esse affirmans, *κατὰ στάσιν ἰδίαν* interpretatus est: to support the interest of a faction, quocum consentit fere Bredovius, qui ea verba sic reddit: Itamanes mit den Barbaren, welche durch eine eigene Partei in die Stadt gezogen worden. Sed haec non est praepositionis *κατὰ* vis, id quod sentiens Bloomfieldius in editione nuper emissa *κατὰ στάσιν* rectius out of faction and party-discord interpretatur. Sed idem ad interpretationem *ἰδίαν* in *ἰδίᾳ* mutandum proposuit, comparans III, 2: *αὐτῶν Μυτιληναίων ἰδίᾳ ἄνδρες κατὰ στάσιν* — *μηροταὶ γίνονται τοῖς Ἀθηναίους*, idemque jam ante Bloomfieldium Krueger in Seebod. Arch. für Philol. III, 1. p. 535 in mentem venerat, et ipsi eorum, quae modo exscriptimus, verborum memori. Quae quidem conjectura aliis adeo placuit, ut Goeller et Arnoldus in ipsam verborum seriem receperint, Popponi, qui intactam reliquit vulgatam lectionem, certe potius videatur adverbium *ἰδίᾳ*. At quem Bloomfieldius et Krueger ad fulciendam suam conjecturam attulere locum, is magni momenti est, uti intelligamus, quae nostro loco verborum *κατὰ στάσιν* potestas sit, vocis *ἰδίαν* in *ἰδίᾳ* mutatio eo non ita commendatur, ut vulgata lectio deserenda videatur. In ea quid sit, quod displiceat, planissimi Arnoldus declaravit, qui, *ἰδίᾳ*, inquit, is a necessary correction of Krüger's, which Goeller has adopted; for *στάσις ἰδία* must be nonsense, there being no such thing as *στάσις κοινή*. Nimirum *ἴδιος* plerumque oppositum habet

κοινός vel δημόσιος, ut apud Thuc. II, 61: Χρεῶν — ἀπαλήσαντας τὰ ἴδια τοῦ κοινοῦ τῆς σωτηρίας ἀντιλαμβάνεσθαι. I, 80: πλούτῳ ἰδίῳ καὶ δημοσίῳ: quo sensu si hoc loco quis velit intelligere στάσιν ἰδίαν, apparet ineptam nasci sententiam. Sed alia est adjectivi ἴδιος significatio, haud admodum frequens, qua τῷ ἀλλοτρίῳ opponitur, ut si apud Aeschyl. Prom. 404 Jupiter ἰδίῳ νόμοις κρατίνων, i. e. suis, non alienis, legibus imperans, vocatur. Qua vi id adjectivum nostro quoque loco usurpatum est, nec quidquam jam vulgata lectione aptius. Sic enim Thucydides Itamanem atque Persas Colophoniorum urbe non invitis incolis, sua imperii proferendi cupidine incitatos aut aliorum auctoritate impulsos, sed propter ipsorum Colophoniorum intestinam discordiam, altera factione eorum auxilium implorante, potitos esse narrat.

4. Lib. III, cap. 6 in verbis ναύσταθμον δὲ μᾶλλον ἢν αὐτοῖς πλοίων καὶ ἀγορᾶς ἢ Μαλέα quo referendum sit μᾶλλον, ad ναύσταθμον an ad Μαλέα.

Obsidentibus post Lesbiorum defectionem Mytilenen Atheniensibus, τῆς γῆς τῆς μὲν ἄλλης, ut ait Thucydides, ἐχράτουσι οἱ Μυτιληναῖοι καὶ οἱ ἄλλοι Λέσβια, προσβεβηθηκότας ἤδη, τὸ δὲ περὶ τὰ στρατόπεδα οὐ πολὺ κατεῖχον οἱ Ἀθηναῖοι, ναύσταθμον δὲ μᾶλλον ἢν αὐτοῖς πλοίων καὶ ἀγορᾶς ἢ Μαλέα. In quibus verbis non constat inter interpretes, μᾶλλον utrum ad ναύσταθμον, an ad Μαλέα pertineat, nec vero quisquam adhuc exposuit, quid intersit ad universi loci sententiam, quo referatur id adverbium. Sed antequam de ea re dicamus, pauca verba de Malea ipsa faciamus necesse est. De qua haud dubium videtur quin vera sit eorum sententia, qui duplicem hoc nomine in insula Lesbo locum vocatum esse statuunt, alterum teste Strabone XIII, 2 τὸ νοτιώτατον ἄκρον insulae, quod promontorium hodie Zeitoun appellatur, alterum ad septentrionem ab urbe Mytilene positum, ad quem pertinent Thucydidis verba III, 4: ἐν τούτῳ δὲ ἀποστέλλουσι (οἱ Μυτιληναῖοι) καὶ ἐς τὴν Λακεδαιμόνα πρέσβεις τριήρει, λαθόντες τὸ τῶν Ἀθηναίων ναυτικόν, οὐ ὄρουσι ἐπὶ τῇ Μαλέᾳ πρὸς βορέαν τῆς πόλεως. Quam de duplici Malea sententiam primus proposuit Hobbesius, quum antea de ea hujusce nominis loco, qui esset ad septentrionem ab urbe situs, nihil constaret, unde magna ad explicandum Thucydidem difficultas extitit, quum Strabo quidem Maleam extremum esse ad meridiem insulae promontorium, et Mytilenen inter Methymnam et Maleam sitam scriberet, apud Thucydidem Malea esset ad septentrionem Mytilenae posita. Eam gravissimorum auctorum discrepantiam Poppo in „locorum a Thucyde memoratorum descriptione“ p. 444 ita remove conatus est, ut, quum antiquam Mytilenae urbem a recentiore situ disjunctam fuisse constet (cf. Diodor. Sic. XIII, 79: ἡ μὲν γὰρ ἀρχαία πόλις μικρὰ νῆσός τις ἐστίν· ἡ δ' ὕστερον προσοικισθεῖσα τῆς ἀντιπέρας ἐστὶ Λέσβου· ἀνὰ μέσον δ' αὐτῶν ἐστὶν εὐρύπος στενός), Strabonem recentioris urbis situm nobis depinxisse statueret, quum Thucydides ad antiquam respexisset; Bloomfieldio in interpretatione pro πρὸς βορέαν, quod librariorum errori debeatur, πρὸς νότον scribendum visum est. Sed nunc uterque cum Hobbesio facit, quem etiam Goeller, Arnoldus atque Plehnius in Seebod. Arch. für

Philol. 1828 p. 695 sequuntur. Recte autem, uti videtur, Goeller ad cap. 4 Maleam a septentrione Mytilenae sitam censet fuisse promontorium, quod ex duobus Mytilenaeorum portubus, quorum alter ad septentrionem, alter ad meridiem ab urbe erat positus, septentrionalem ab oriente clauderet ipsique portui nomen *Μαλόεις* daret (cf. Aristotelem in libello *ἀνέμων θέσεις καὶ προσηχοῖαι* inscripto s. v. *Καικίας*, qui οὗτος, inquit, ἐν μὲν Λέσβῳ καλεῖται Θηβάνας· πνεῖ γὰρ ἀπὸ Θήβης πεδίου τοῦ ὑπὲρ τὸν Ἐλαιατικὸν κόλπον τῆς Μυσίας, ἐνοχλεῖ δὲ τὸν Μυτιληναίων λιμένα, μάλιστα δὲ τὸν Μαλόεντα), in eoque promontorio templum Apollinis Maloentis fuisse, cujus cap. 3 mentio fit. Nec vero id videtur dubium, quin ea, de qua nunc agitur, Malea, quam Atheniensium *ναύσταθμον πλοίων καὶ ἀγορᾶς* vocat Thucydides, promontorium intelligatur non ad meridiem, sed ad septentrionem Mytilenae situm, quum non sit credibile, uti Arnoldus docet, rerum ad vitam necessariorum mercatum septuaginta stadiis (tantum enim Strabone teste promontorium Melea ad meridiem a Mytilene positum ab ea urbe distabat) ab Atheniensium castris abfuisse, quum omnem insulam praeter exiguum in ipsa castrorum vicinitate spatium hostis obtinerent, et bene Goeller moneat, quum paullo ante Maleae ad septentrionem urbis sitae mentionem Thucydides fecisset, si jam aliam intelligi Maleam voluisset, aliquid fuisse additurum, quo ea ab altera distingueretur.

Quibus praemissis pergimus jam ad id, quod disputationis nostrae caput est, uti quaeramus, in iis, quae supra scripsimus, verbis num *μᾶλλον* ad *ναύσταθμον*, an ad *Μαλέα* pertineat. Bloomfieldium et Arnoldum ad *ναύσταθμον* referre apertum est, quum ille in interpretatione eum locum sic exprimat: „for the promontory of Malea was only (or rather than any thing else) a roadstead for their barks, serving also for a market“, Arnoldus autem scribat: „He means, I think, to say, that although they had a part of their force at Malea, yet it gave them no command of the country, as they merely occupied a small space close to the water's edge, where the market as usual was established for the seamen and soldiers, and where the smaller vessels might be hauled up on the beach in safety“; quorum sententiam Poppo quoque probare videtur. Quam qui sequuntur, hoc Thucydidem dicere statuunt: spatium circa castra Athenienses obtinebant; ad id tam exiguum erat, ut Maleae usus esset potius is, ut navigiorum ibi stationem locumque aliquem haberent, ubi, quae illa navigia navesque onerariae subveherent, venditari possent, quam ullus alius i. e. ut nullus alius Maleae usus esset, nisi ut navigiorum ibi stationem locumque aliquem haberent, ubi — posset. Sed obstat, quominus eam scriptoris mentem esse existimemus, quod, etiamsi concedere liceret, Maleam potuisse pro iis quidem nominari castris, quae ad septentrionem urbi essent posita, tamen ne sic quidem justa existeret sententia, quum jam hoc dicturus esset Thucydides: „haud magnum erat, quod circa utraque castra Athenienses obtinerent, spatium, sed ejus, quod ad altera eorum esset, nullus erat usus, nisi ut navigiorum ibi stationem etc. haberent“. At ut demonstraretur, exiguum fuisse spatium, quod ad utraque

castra in Atheniensium potestate esset, non satis erat monuisse, non magnum fuisse id, quod ad altera eorum esset. Sed ne verum quidem est, Maleam potuisse pro castris ad septentrionem a Mytilene positae eorumve vicinitate nominari, id quod ex universa rerum serie ac conditione apertum est. Nam ab initio quidem Atheniensium classis ad Maleam septentrionem versus a Mytilenaeorum urbe in ancoris constiterat (cap. 4), unde post auxiliorum demum adventum australem urbis partem circumvecti etiam ad portum ad meridiem ab urbe positum stationem navium habuere, quae hunc eodem modo clauderet, quo altera ad Maleam disposita alterum. Simul nunc quidem ad utramque urbis partem, borealem et australem, castra muniunt (de qua re conferas tamen, quae paullo post disputabimus), quae Mytilenen a terra obsiderent, sicuti a mari duae navium stationes clauderent (cap. 6: *οἱ δὲ Ἀθηναῖοι πολὺ ἐπιθρόσθεντες διὰ τὴν τῶν Μυτιληναίων ἡσυχίαν ξυμμάχους τε προσεκάλουν, οἱ πολὺ θάσσον παρήσαν ὀρῶντες οὐδὲν ἰσχυρὸν ἀπὸ τῶν Λεσβίων, καὶ περιορμισάμενοι τὸ πρὸς νότον τῆς πόλεως ἐτείχισαν στρατόπεδα δύο ἐκατέρωθεν τῆς πόλεως, καὶ τοὺς ἐφόρους ἐπ' ἀμφοτέροις τοῖς λιμέσιν ἐποιῶντο*). Unde satis, ut arbitror, apparet, diversa ab navium stationibus atque Malea fuisse bina illa castra. Nam si quis huic disputationi id objiciat, potuisse fieri, ut ea castra, quae a septentrione essent Mytilenae, in ipso Maleae ponerentur promontorio, itaque pro iis Maleam potuisse nominari, is non attendit animum, Athenienses jam ante habuisse in terra castra (cap. 5: *καὶ ἔξοδον μὲν τινα πανδημεὶ ἐποιήσαντο οἱ Μυτιληναῖοι ἐπὶ τὸ τῶν Ἀθηναίων στρατόπεδον, καὶ μάχη ἐγένετο, ἐν ἧ ὄνκ ἔλασσον ἔχοντες οἱ Μυτιληναῖοι οὔτε ἐπηλίσαντο οὔτε ἐπίστευσαν σφίσιν αὐτοῖς, ἀλλ' ἀνεχώρησαν*). Quo loco τὸ τῶν Ἀθηναίων στρατόπεδον non intelligi navalia Atheniensium castra inde colligitur, quod *ἔξοδον ποιῆσθαι* et *ἐπιανλίξασθαι* ad expeditionem, quae terra, non quae mari fiat, pertinet), haud dubie in promontorio Malea ad ipsam stationem dispositarum ibi navium posita, a quibus necesse est diversa esse bina castra, quae *ἐκατέρωθεν τῆς πόλεως* posuere, ea quum post accita demum sociorum auxilia munita sint.

Quodsi igitur Maleam non potuisse dici pro alteris horum castrorum jam satis constat, superest, adverbium *μᾶλλον* ad *Μαλέα* ut referamus, quo facto haecce nascitur aptissima sententia, quam jam Heilmannus, Jacobus, Mueller secuti sunt: hoc quidem spatium, quod ad ipsa castra esset, Athenienses obtinebant; id vero tam exiguum erat, ibi ut ne stationem quidem navigiorum commeatus subvehentium mercatumque habere possent, sed promontorio Malea ad id uterentur.

Sed antequam hunc locum mittamus, de alia re dicendum est. Mentionem forte supra fecimus verborum *περιορμισάμενοι τὸ πρὸς νότον τῆς πόλεως ἐτείχισαν στρατόπεδα δύο ἐκατέρωθεν τῆς πόλεως*, in quibus τὸ πρὸς νότον mire vexavit interpretes. *Περιορμισάσθαι* quid sit bene docuit Bloomfieldius, circumagere sese (i. e. circumvehi) in stationem interpretatus, sed idem in explicandis verbis τὸ πρὸς νότον τῆς πόλεως nugatur, praepositionem aliquam suppleri jubens, qua indicetur, quo Athenienses circumvecti sint; quae ommissio, quam ipse fre-

quentem dicit, nullo modo ferri potest. Eandem horum verborum sententiam Arnoldus requirit, qui, ut demonstraret, accusativum interdum, nulla praepositione addita, per se solum indicare locum, quo quis moveretur, alio Thucydidis loco V, 2 usus est, cujus haec verba sunt: *ναῦς περιέπευψε δέκα, τὸν λιμένα περιπλεῖν*. Sed ipse posthac sententia mutata ex Bekkeri conjectura cum Poppone et Goellero ante τὸν λιμένα praepositionem ἐς addidit. Goeller verba τὸ πρὸς νότον jungit cum ἐτείχισαν, bina illa ἐκατέρωθεν τῆς πόλεως castra ab australi urbis parte fuisse statuens, altera ab oriente urbis mare versus, altera ab occidente introrsus Lesbum ipsam versus. Contra quem quae Poppo in Addendis monet, quum cap. 4 et hic βορέας et νότος nominati sint, ἐκατέρωθεν has duas plagas designet oportere, nec esse verisimile, ab oriente inter urbem et mare satis fuisse ad ponenda Atheniensium castra spatii, sed videri urbem ad mare usque pertinuisse, ab occidente autem dubitandum esse num transversa moles, quae insulam, in qua Mytilene antiquior erat sita, cum reliqua Lesbo junxerit, satis ampla fuerit ad capienda castra, et quaeri, quo modo Salaethus, cujus cap. 25 mentio fiat, in urbem pervenerit, si in illa mole Atheniensium castra fuerint posita: ea minoris videntur ad improbandam Goelleri rationem momenti esse, quam quod orationis simplicitas dissuadet, ita ne verba intelligamus. Sed qui Goellerum sequuntur, ii necesse est τὸ πρὸς νότον interpretentur: quod attinet ad partem urbis australem. Quam esse eorum verborum vim etiam Poppo vult, id quod ex iis apparet locis, quos cum nostro comparat, quamquam is τὸ πρὸς νότον cum περιορισάμενοι conjungit. Jubet enim hosce conferre locos: II, 96: οὐ ὠρίζετο ἡ ἀρχὴ τὰ πρὸς Παίονας. III, 63: χοῖν τὰ πρὸς ἡμᾶς μόνον ἡμᾶς ἐπάγεσθαι αὐτούς. IV, 23: Ἀθηναῖοι περιώρμον (περὶ τὴν νῆσον) πλὴν τὰ πρὸς τὸ πέλαγος. IV, 15: ἔδοξεν αὐτοῖς — σπονδὰς ποιησαμένους τὰ περὶ Πύλον ἀποστεῖλαι ἐς τὰς Ἀθήνας πρέσβεις. IV, 108: τῆς γεφύρας μὴ κρατούντων (τῶν Λακεδαιμονίων), ἄνωθεν μὲν μεγάλης οὔσης ἐπὶ πολὺ λίμνης τοῦ ποταμοῦ, τὰ δὲ πρὸς Ἰδιόνα τρηρήσει τηρουμένων, οὐκ ἂν δύνασθαι προελθεῖν (τοὺς Λακεδαιμονίους). V, 59: τὸ πρὸς Νεμέας Βοιωτοὶ καὶ Σικυώνιοι καὶ Μεγαρεῖς (τῆς πόλεως εἶργον τοὺς Ἀργεῖους). VI, 2: οἰκοῦσι δὲ ἔτι καὶ νῦν τὰ πρὸς ἐσπέραν τὴν Σικελίαν. VI, 63: ἐπειδὴ πλείοντες τὰ ἐπέκεινα τῆς Σικελίας πολὺ ἀπὸ σφῶν ἐφαίνοντο. Quibus locis omnibus accusativi τὸ vel τὰ cum praepositione et, qui inde pendet, casu apparet eam esse vim, quam Latine expresseris fere quod attinet ad. Quae si est verborum τὸ πρὸς νότον τῆς πόλεως significatio, eaque cum περιορισάμενοι junguntur, difficile dictu est, quomodo Thucydidēs περιορισάμενοι τὸ πρὸς νότον τῆς πόλεως i. e. circumvecti in stationem, quod attinet ad australem urbis partem scribere potuerit pro περιορισάμενοι ἐς τὸ π. ν. τ. π.; sic enim Popponem illa verba intelligere necesse est. Sed equidem non video, si τὸ πρὸς νότον τῆς πόλεως junxeris cum περιορισάμενοι, quid opus sit, ut statuamus, illis verbis indicari locum, ad quem Atheniensium classis circumvecta sit, quum nihil sit simplicius, quam ut accusativum τὸ πρὸς νότον referamus ad praepositionem περὶ in περιορισάμενοι, ut Atheniensium classis non ad, sed circum australem urbis partem dicatur circumvecta, uti

περιπλεῖν haud rarum est cum accusativo ejus loci junctum, circa quem quis navigat. Jam igitur Atheniensium classis non ad ipsam australem insulae partem alteram stationem habuisse existimanda est, sed circumvecta eam paullulum ad occidentem versus jecisse ancoras, quod quominus statuamus, nihil impedit. Quae loci interpretatio tam facilis est tamque ad rem accommodata, ut sane mireris, quod in eo explicando ita haeserint interpretes.

5. Nondum ad liquidum explorata esse omnia in hisce apud Thucydidem III, 17 verbis:

καὶ κατὰ τὸν χρόνον τοῦτον, ὃν αἱ νῆες ἐπλεον, ἐν τοῖς πλείστοις δὴ νῆες ἅμ' αὐτοῖς ἐνεργοὶ κάλλει ἐγένοντο, παραπλήσια δὲ καὶ ἔτι πλείους ἀρχομένου τοῦ πολέμου.

Quarto belli anno Thucydides Lacedaemoniis a Lesbiis persuasum esse refert, ut, collecta a sociis classe et exercitu alteram ea aestate irruptionem in Atticam facerent, ad quam rem nullum tempus posse esse commodius. Nam Athenienses, qui misissent classem alteram ad obsidendam Mytilenen, alteram ad depopulandas Peloponnesi oras, aut coactos iri, eas ut revocarent naves, aut non restituros Peloponnesiis terra simul marique impetum facientibus. Quibus rationibus permoti Lacedaemonii et sociorum copias in Isthmum convenire jubent, unde ad irruptionem in Atheniensium agros faciendam erant profecturi, et ipsi omnium primi eo pervenerunt, parantes terra marique bellum. At Athenienses, quippe qui Peloponnesios propterea impetum conari intelligerent, quod ipsorum vires ad tantum bellum tamque multiplex non posse sufficere arbitrarentur, ut ostenderent, quid bello possent, nec ea, quae Mytilenen obsideret, nec quae Peloponnesiorum oras legeret, classe revocata, aliis centum navibus instructis obviam Peloponnesiis profecti sunt. Quo tempore Thucydides Athenienses maximas, dum id bellum gereretur, navales copias instructas habuisse, usus iis, quae supra scripsi, verbis tradit. In iis quae intelligendae sint *νῆες ἐνεργοὶ*, bene explicuit scholiastes, qui, *ἐνεργοὶ*, inquit, *αἱ τὸ ἔργον ποιοῦσαι τῶν νεῶν*: sed non addere debeat *τουτέστι πλωῖμοι καὶ χρησταί*, nam interesse aliquid inter naves *πλωίμους* et *ἐνεργούς*, jure Poppo monuit. Nimirum adjectivum *ἐνεργός* propriam hoc loco significationem habet, qua *τὸν ἐν ἔργῳ ὄντα* indicat, ut apud Platon. de leg. II p. 674, B: *μηδὲ διαστὰς ἐνεργούς ὄντας ὄνον γέεσθαι τὸ παράπαν*, et *νῆες ἐνεργοὶ* sunt naves in opere versantes i. e. actuosae, *Schiffe im (aktiven) Dienste*, uti post scholiasten etiam alii interpretati sunt. Sed in reliquis quaeritur, quo *ἅμα* referendum sit, et unde pendeat *αὐτοῖς*. Nam Poppo et in novissima editione Bloomfieldius *ἅμα* cum *ἐγένοντο* jungunt, uno eodemque tempore interpretati, non cogitantes, quam durum sit et subtiliori sensui repugnans, si quis *ἅμα*, sequente dativo, ab eo velit avellere et alio trahere, praesertim si *ἅμα*, apostropho adhibito etiam arctius cum dativo junctum, vel magis praepositionis induerit naturam. Minus etiam Goelleri placet ratio, qui post alios hanc vult verborum structuram esse: *νῆες αὐτοῖς ἐνεργοὶ ἅμα κάλλει ἐγένοντο*, ut *ἅμα κάλλει* jungatur; cui merito Poppo obloquitur, *ἅμα*, si praepositionis naturam induerit, a casu suo non posse separari.

Quod si jam dativum *κάλλει* non posse ab *ἅμα* pendere apertum est, altera quaestio ori-

tur, is cui verbo jungendus sit. Qua in re nugatur sane Bloomfieldius, *κάλλει* pro *σύν κάλλει* dictum esse statuens, quo facto cum adjectivo *ἐνεργοί* jungit, sic interpretatus; vessels at once effective and handsome, literally, effective together with handsomeness. Nam quem ad comprobendam eam sententiam ex Eurip. Orest. v. 1473 attulit locum *ιαχῆ δόμων θύρετρα καὶ σταθμούς μοχλοῖσιν ἐμβαλόντες*, quo loco *ιαχῆ* pro *σύν ιαχῆ* dictum esse vult, ea *ιαχῆ* apparet eum dativum esse, quem grammatici dativum modi vocant, de quo vide Matthiae. §. 400, nec de omissa praepositione esse cogitandum. Sed constat, virum, cujus aliis in rebus merito doctrinam admireris, solere ubique de supplendis praepositionibus somnare, ubi nihil splendendum est. *Κάλλει* Haackius vidit cum *ἐνεργοὶ ἐγένοντο* jungendum esse, eo ut indicetur, qua re factum sit, ut naves vere actuosae essent, videlicet conditionis suae apparatusque pulchritudine et praestantia, quocum consentiunt fere Kistemaker et Hier. Mueller.

Sed redeamus eo, unde aberravit disputatio, uti quaeramus, *ἅμα* quo referendum sit et unde pendeat *αὐτοῖς*. Quodsi nulla ante concepta animo opinione universam legeris verborum seriem, non potest dubium esse, quin verba *ἅμα αὐτοῖς* inter se jungenda videantur; quo quum ipsa orationis natura ducat, videamus, quae inde sententia nascatur. Ea vero non potest alia esse, quam illo tempore, quo naves istae navigarent, plurimas Atheniensium naves una cum iis, i. e. una cum Atheniensibus eas complementibus, conditionis suae apparatusque praestantia in opere fuisse; modo caveas, ne *κάλλει* non ad solas naves referas, sed ad milites quoque eas complementes, id quod Grammius fecit, ob id ipsum a Poppone increpatus.

In iis, quae sequuntur: *παραπλήσια δὲ καὶ ἔτι πλείους ἀρχομένον τοῦ πολέμου*, corrigere scriptorem, quae modo dixerat, hoc tempore, qui fuit quartus belli annus, plurimas Atheniensium naves in opere fuisse, jam alii viderunt; sed fallitur Heilmannus, quem alii quoque secuti sunt, adjectivo *παραπλήσιος* hic et altero apud Thucydidem loco (VII, 19: *ἀπέχει δὲ ἡ Δεκέλεια σταδίου μάλιστα τῆς τῶν Ἀθηναίων πόλεως εἴκοσι καὶ ἑκατόν, παραπλήσιον δὲ καὶ οὐ πολλῶ πλείον καὶ ἀπὸ τῆς Βοιωτίας*) non similitudinem, sed aequalitatem exprimi iudicans, id quod pro natura ejus adjectivi fieri nequit, quum *παραπλήσιος*, quod est ex *παρὰ* et *πλήσιον* compositum, de eo usurpetur, quod prope accedit ad aliam rem, non quod eam aequat. Sed in errorem sese induci passus est Heilmannus eo, quo nostrates illud adjectivum reddere solent, vocabulo. Etenim beinahe (b. eben so viel, b. eben so grofs, b. eben so weit) fere sic usurpatur, ut significet, ita accedere aliquid ad aliam rem, eam ut non plane assequatur, sed ante consistat, quam eo pervenerit; quae si hoc loco esset adjectivi *παραπλήσιος* significatio, hoc diceret Thucydides, tum temporis plurimas Atheniensium naves in opere fuisse, prope aequum (i. e. non multo minorem) autem et majorem etiam numerum belli initio, quod nihili esse apparet. Sed ut vocabulo beinahe etiam de eo uti licet, quod ita ad aliam rem accedit, ea ut non minus, sed majus sit, ut si dixeris: er ist beinahe eben so grofs, als ich, quibus verbis et is significari potest, qui me paullo

major, quam qui paullo minor est: sic etiam Graeci adjectivi *παραπλήσιος* duplex haec significatio est, et ne quis haesitaret, utram hoc loco scriptor intelligi voluisset, ob eam ipsam causam addidit *καὶ ἐτι πλείους*, ut VII, 19 *καὶ οὐ πολλῶ πλεον*.

6. Enodatur impedita duorum Thucydidis locorum structura.

Satis audacter apud Thucydidem libro III ab initio capitis 15 conformata est oratio, cuius loci haec verba sunt: *οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι ἐπειδὴ ἤκουσαν, προσδεξάμενοι τοὺς λόγους ξυμμάχους τε τοὺς Λεσβίους ἐποίησαντο, καὶ τὴν ἐς τὴν Ἀττικὴν ἐσβολὴν τοῖς τε ξυμμάχοις παροῦσι κατὰ τάχος ἔφραζον ἵεναι ἐς τὸν Ἰσθμὸν τοῖς δύο μέρεσιν ὡς ποιησόμενοι, καὶ αὐτοὶ πρῶτοι ἀφίγοντο*. Quibus in verbis quum vulgo post *ἐσβολὴν* plene interpungeretur, inepta nascebatur sententia, quum ex sequentibus Peloponnesios irruptionem, cuius in Atticam faciendae consilium ceperant, non vere fecisse constet. Veram, quae ad explicandum locum ineunda esset, viam primus Heilmannus monstravit, hunc verborum audacter trajectorum ordinem instituendum docens: *καὶ ὡς ποιησόμενοι τὴν ἐς τὴν Ἀττικὴν ἐσβολὴν τοῖς τε ξυμμάχοις παροῦσιν ἔφραζον κατὰ τάχος ἵεναι ἐς τὸν Ἰσθμὸν τοῖς δύο μέρεσι, καὶ αὐτοὶ πρῶτοι ἀφίγοντο*, cui recentiores interpretes omnes obtemperarunt. Sed quaeritur, quo factum sit, tam miram ut habeamus verborum structuram. Nam etsi multo liberior est Graecorum sermo legibusque in conformanda oratione, quae multiplici sententiarum formae plurimisque modis variae ubique arcte se accommodat, minus angustis circumscriptus, quam Romanorum sermo recentiorumve gentium, cuius forma durior est minusque mobilis: attamen tantum abest, ut in conformanda oratione suam quisque libidinem secutus sit. Sed hoc interest inter Graecorum sermonem et recentiorum gentium, quibuscum hac quidem in re Romanorum quoque magna quaedam similitudo est, quod apud Graecos ita dominatur sententia, at eam ut ubique sese oratio conformet, vel si timendum sit, ne impedita fiat et inconcinna apud Romanos recentioresque gentes major quaedam externae formae severitas sententiam ipsam certis circumscribit legibus arctioribusque finibus coercescit. Ita eo quoque, de quo nunc disputamus, loco in ipsius sententiae conformatione audacius conformatae orationis causa est posita. Videtur enim Thucydides eo consilio sententiam inchoasse, sic ut ad finem eam perduceret: *οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι* (notandum autem est, vocabulum *ξύμμαχοι* ad solum *ἐποίησαντο* una cum *Λακεδαιμόνιοι* subjectum esse, ad *ἔφραζον* omissio eo scriptorem non nisi *Λακεδαιμόνιοι* retinere) *ὡς ἤκουσαν, προσδεξάμενοι τοὺς λόγους ξυμμάχους τε τοὺς Λεσβίους ἐποίησαντο, καὶ τὴν ἐς τὴν Ἀττικὴν ἐσβολὴν τοῖς τε ξυμμάχοις παροῦσι κατὰ τάχος ἔφραζον παρασκευάζειν, καὶ αὐτοὶ κ. τ. λ.* Sed quia verbis *ἔφραζον τοῖς ξυμμάχοις παρασκευάζειν τὴν ἐς τὴν Ἀττικὴν ἐσβολὴν* non satis foret expressum, qua ratione sociis irruptio ista ex Lacedaemoniorum praecepto paranda fuerit, pro *παρασκευάζειν* ea substituit Thucydides, quibus, quid praecepissent Lacedaemonii, accuratius significaretur, scribens *ἵεναι ἐς τὸν Ἰσθμὸν τοῖς δύο μέρεσιν*. Quod fit, ut ad *τὴν ἐσβολὴν* jam desit verbum, a quo is accusativus pendeat. At tam frequentes sunt apud Graecos, ubi mutato sententiae ordine orationis quoque forma immu-

tatur, ejus generis omissiones, ut nemo, qui vel mediocriter in Graecorum scriptis versatus esset eorumque in his rebus libertatem novisset, miraturus esset, si post *μέρεσιν* plene esset interpunctum, ut *τὴν ἐξβολὴν* haberemus accusativum, quem vocant, absolutum. Quid quod nescio, an magis mirandum sit, quod Thucydides, memor illius accusativi, etiam mutato sententiae orationisque ordine, ut esset jam, unde is penderet, addidit *ὡς ποιησόμενοι*. Nam quod supra monui Graecorum moris esse, ut, quae ejus gentis est ingenii mobilitas, ubicunque ab ea via deflectat sententia, quam ab initio inierat, sequatur statim etiam oratio, haud multum curans, num per grammaticas sermonis leges id liceat, unde varia sunt anacoluthorum apud Graecos genera, id prae caeteris usitatissimum est Thucydidi; de qua re non immerito Arnoldus, de nostro loco disputans, „this accusative case (*τὴν ἐξβολὴν*)“, inquit, „depends on the participle *ὡς ποιησόμενοι*, although I believe that it would have stood just as it does now, had Thucydides when he came to the end of the sentence concluded with a participle that would not govern it. He put it at the beginning of the sentence, because it was the principal subject which he was going to speak of, and the sentence has the good luck to end grammatically; but Thucydides does not always, when he comes to the end of one, recollect how he had begun it, nor in beginning it does he consider how he shall end it“.

Alter, de quo dicturi sumus, locus, ei, de quo modo disputavimus, ea re quodammodo similis, quod inusitatio in eo verborum structura inde repetenda est, quod iis, quae dixerat scriptor, deinde alia mente substituit, est lib. III cap. 26. Ibi quum vulgo legeretur: *ἤγγετο δὲ τῆς ἐξβολῆς ταύτης Κλειμένης ὑπὲρ Πανσανίου τοῦ Πλειστοάνακτος υἱός, βασιλέως ὄντος καὶ νεωτέρου ἔτι, πατρὸς ἀδελφὸς ὢν*, recentiores interpretes omnes, secuti melioris notae librorum plerumque omnium auctoritatem, post *πατρὸς* particulam *δέ* addidere. Sed cum adjectum illud *δέ* a Graeci sermonis usu recedat, debebant afferre caussam, cur id additum esset, id quod a nemine eorum factum est. Nam quod Poppo ad ea nos remittit, quae ad I, 12 ab ipso disputata sunt, quo loco aliquot exempla adscripsit, quibus demonstraret, interdum particulam *δέ* etiam ibi habere locum, ubi *μέν* non antecessisset, ea exempla omnia, et quae adjecit Haackius, a nostro loco ita differunt, quod in illis particula *μέν* quidem omissa est, sed non deest in universa orationis comprehensione sententia, cui ea verba, quae particulam *δέ* additam habent, sint opposita, nostro loco in universa verborum serie nihil reperitur, cui *πατρὸς δὲ ἀδελφὸς ὢν* opponi posse videatur. Etenim haec sunt, quae Poppo attulit exempla: I, 56: *Ποτιδαίτας, Κορινθίων ἀποίκους, ἑαυτῶν δὲ ξυμμάχους φόρον ὑποτελεῖς*. IV, 7: *Ἥϊονα, Μενδαίων ἀποικίαν, πολεμίαν δὲ οὔσαν*. II, 37: *οὐδ' αὖ κατὰ πενίαν, ἔχων δὲ τι ἀγαθὸν δρᾶσαι τὴν πόλιν, κενώλνται*. VIII, 28: *τὸν Ἀμόργην, Πισσοῦθνον νόθον υἱόν, ἀφροσῶτα δὲ βασιλέως*, in quibus, dummodo *μέν* addas, nihil est, in quo offendas, quum nostro quidem loco non sit, cui possis addere eam particulam. Sed nisi quid me fallit, inde factum est, ut *δέ* adjiceret Thucydides, quod, quum scripsisset *ὑπὲρ Πανσανίου τοῦ Πλειστοάνακτος υἱός, βασιλέως ὄντος καὶ νεωτέρου ἔτι*, progrediente oratione pro iis verbis *Πανσανίου τοῦ Πλειστοάνακτος υἱός, βασιλέως ὄντος καὶ νεωτέρου ἔτι, διάδοχος* vel tale quid mente substituebat, cui jam *πατρὸς δὲ ἀδελφὸς ὢν* opponi poterat.

7. Locus Thucydidis III, 20 de rariore quodam Aoristi usu disputandi ansam praebet.

Inter Aoristum et reliqua, quibuscum is significatione componi solet, Graeci verbi tem-

pora, Imperfectum, Perfectum et Plusquamperfectum, hoc interesse constat, quod haec quidem, quae relativa vocantur, tempora eam, quam expriment, actionem (sive statum) ad aliam aliquam actionem (sive statum) referunt, (sive ea oratione expressa est, sive ea universa sermonis serie supplenda) Perfectum ad praesentem aliquam, Imperfectum et Plusquamperfectum ad praeteritam, illamque, dum haec fieret, aut jam fuisse absolutam, aut durasse indicant, Aoristus, qui ex absolutorum, quae vocantur, temporum numero est, nulla alius actionis ratione habita, simpliciter aliquid factum esse significat. Quae quidem de Aoristi vi atque natura disputatio non refellitur iis exemplis, in quibus, quum fortasse expectaveris relativa illa tempora, scriptores Aoristo uti sunt, hi loci omnes quum ita comparati sint, ut in iis quoque ea, quam supra dixi, Aoristi vis deprehendatur. Namque interdum accidit, ubi duae actiones ita inter se junguntur, altera earum ut ad alteram sit referenda, id ipsum si ea orationis serie per se jam satis patet, uti scriptores Graeci relationem illam non expriment insuper tempore verbi, sed cuique ex sermonis perpetuitate intelligendam relinquunt. Qua re haud raro fit, ut Aoristo eos usos videas, ubi relativa illa tempora locum habebant, non quod Aoristus horum induerit naturam, sed quod scriptori non attinere visum est, duarum actionum inter se relationem, ex sententiae natura per se satis perspicuam, ipso quoque verbi tempore exprimere. Ita pro Perfecto maxime et Plusquamperfecto frequens Aoristi usus est, nam Imperfecti quidem ea est natura, ut non facili, ubi Imperfecto locus est, possit etiam Aoristo esse. Perfecti autem et Plusquamperfecti quum ea vis sit, Perfectum ut exprimat actionem aliquam praeteritam, ex qua quae redundarunt, ad praesens usque tempus pertinent, Plusquamperfectum actionem praeteritam, ex qua quae evenerant, eo tempore, quo alia actio, nunc et ipsa praeterita, fiebat, manebant: ubi ex universa orationis serie praeteritae illius actionis eventum aut in praesenti quoque manere, aut certo aliquo, de quo agitur, tempore mansisse apparet, scriptores, id ipsa sententia satis expressum censentes, nonnunquam Aoristo utuntur, ubi Perfecto aut Plusquamperfecto uti poterant; ut si apud Homerum est (Od. XVI, 57): *ἄττα, πόθεν τοι ξείνος ὄδ' ἵκετο; πῶς δὲ ἔ ναῦται ἤγαγον εἰς Ἰθάκην;* ubi Perfecto locus erat, et apud Xenoph. Anab. II, 2, 7: *ἐντεῦθεν δὴ, ἐπεὶ σκότος ἐγένετο, Μιτοκλύθης ἤτομόλησε πρὸς βασιλέα,* quo loco pro Aoristo *ἐγένετο* Plusquamperfecto uti scriptor poterat. De qua re disputantem vide Kuehner. ausführl. Gramm. der griech. Sprache §. 444. Is Aoristi usus quum in Indicativo, Conjunctivo, Optativo passim deprehendatur, in Participio quidem tam frequens est, hunc modum ut multo saepius ibi usurpatum videas, ubi, si memineras, quae Aoristi sit, quae Perfecti et Plusquamperfecti propria vis, Perfectum aut Plusquamperfectum expectaveris, quam ubi Aoristum; nec difficilis est ad inveniendum causa, unde factum sit, ut saepius in Participio quam in reliquis Aoristi modis is usus redeat. Etenim Participium quum non possit per se absolvere sententiam, sed necesse sit adjunctum habeat aliud verbum, ad quod sese applicet, consentaneum est, duas has, quae duplici verbo exprimentur, actiones plerumque ita inter se jungi, ut altera referatur ad alteram; quam relationem quum non possit pro natura sua Aoristus indicare, apparet, aut raro fuisse in eo tempore Participio locum, aut ibi id debuisse usurpari, ubi proprius relativorum usus erat temporum. Sed quum permultum Graeci consuissent uti Participiis, si, ubicunque per sententiam licebat, Perfecti et Plusquamperfecti usurparent Participia, metuendum erat, ea quum ipsa forma haberent aliquid inhabile, ne multum imminueretur ora-

tionis gratia ac varietas. Quamquam frequentiori eorum Participiorum usui videtur magis etiam id officisse, quod, quae erat Graecae gentis ingeniorum mobilitas, putidum visum est, in enarandis rebus gestis ipsa verborum forma ubique anxie exprimere, num, qua ex altera re evenerant, quo tempore gesta esset altera, mansissent necne. Quibus caussis effectum est, ut permultum usurparent Aoristi Participia, ubi, si ipsa quoque verbi forma rerum gestarum inter se relationem, ex sententiae natura perspicuam, vellent exprimere, Perfecto aut Plusquamperfecto uti debebant. Qui usus, cujus exempla quum ubique obvia sint, non attinet hoc loco proferre, tam late patet, ut cavendum sit, ne, si quando incidas in Aoristi Participium sua vi usurpatum, ea ipsa in re haereas. Quare videtur consentaneum, quum, qui de rebus disputant ad grammaticam spectantibus, soleant fere ea exemplis confirmare, quae a legibus grammaticis recedunt, hoc loco proferre ejus, quod legitimum est, exempla. Praebuit autem de ea re disputandi ansam locus Thucydidis III, 20, ubi, postquam obsessos a Peloponnesiis Plataeenses narravit, transcendendi hostium muros consilio capto, fecisse scalas pares muris hostium, emensos earum modum laterum ordinibus, ad alii transiturus haec addit verba: τὴν μὲν οὖν ξυμμέτρῃσιν τῶν κλιμάκων οὕτως ἔλαβον, ἐκ τοῦ πάχους τῆς πλίνθου εἰκόσσαντες τὸ μέτρον i. e. „mensuram igitur scalarum hoc modo fecerunt, ex laterum crassitudine quum conjectura assecuti sint sive conjectura assecuti modum“. Cave interpreteris postquam assecuti sunt, quum apertum sit, illos scalarum mensuram fecisse conjectando ex laterum crassitudine, non, postquam conjectarunt, alia re. Magis etiam ἀοριστική haec Aoristi vis aliis locis perspicua est, ut apud Thucydidem II, 68: Ἄργος τὸ Ἀμφιλοχικὸν καὶ Ἀμφιλοχίαν τὴν ἄλλην ἔκτισε — Ἀμφίλοχος ὁ Ἀμφιάρεω ἐν τῷ Ἀμπρακικῷ κόλπῳ, ὁμώνυμον τῇ ἐαυτοῦ πατρίδι Ἄργος ὀνομάσας, quae verba reddideris: „Argos Amphiloichicum condidit Amphilocho et patriae suae nomine Argos appellavit“, non „postquam appellavit“. Hom. Odyss. XI, 430: οἷον δὴ καὶ κείνη ἐμήσατο ἔργον ἀεικές, κορυδίῳ τεύξασα πόσει φόνον i. e. quum paraverit, non postquam paravit. Thuc. I, 86: τοὺς μὲν λόγους τοὺς πολλοὺς τῶν Ἀθηναίων οὐ γινώσκω· ἐπαινέσαντες γὰρ πολλὰ ἐαυτοὺς οὐδαμοῦ ἀντίειπον ὡς οὐκ ἀδικοῦσι τοὺς ἡμετέρους ξυμμέτρους, i. e. quum sive quamvis laudaverint, non postquam laudaverunt.

Sed satis sunt haec ad demonstrandam rem exempla, quam non attigissem, nisi eum Aoristi usum interpretibus nonnunquam fraudi fuisse viderem.